



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 2. Quibus casibus non licet debitum petere?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

netur crimen suum prodere, nec pœnam hanc in se exequi, donec ei à conjugè innocente imponatur. Quòd si uterque conjux adulterium commiserit, utrique licet debitum petere & reddere, eo quòd *comparia crimina compensatione mutua deleantur*, c. ult. de adult.

Porro non licet debitum denegare ob devotionem vel communionem intentam, si absolute exigatur, vel periculum sit incontinentiæ, dissensionum, &c. Neque ob paupertatem seu metum impotentiae sustentandi prolem numerosiore; nam debet in Dei providentia confidere. Tamen S. Antonin. censet licere conjugibus mutuo consensu abstinere à copula ad vitandam filiorum multitudinem, modò absit periculum incontinentiæ. At mulieri non licet denegare debitum ob incommoda & molestias quas gravida experiuntur, vel ob difficultatem ordinariam partûs: nam nubendo talibus pœnis à Deo Evæ & aliis mulieribus impositis se spontè subiecit. S. Carolus monet conjuges, ut in magnis anni solemnitatibus, diebus dominicis, diebus jejuniorum, & certo tempore orationi destinato, & quibus diebus Eucharistiam percepturæ sunt, sumperintve, ab usu Matrimonii, quantum possunt, communi consensu abstineant: idque conformiter multis Canonibus antiquis.

Q. 2. *Quibus casibus non licet debitum petere?*

Resp. I. Ex communi, sub mortali non licet con-

con-

conjugi 1. Qui vovit castitatem sive ante sive post Matrimonium, c. 3. *de convers. Conjug.* nam tenetur servare votum quantum potest, abstinendo ab omni actu venereo non debito ex justitia: votum enim illud includit obligationem præcepti negativi pro omni tempore obligantis, cum sit promissio abstinendi ab omni actu venereo. Unde nec ei licet inchoare actus ordinatos ad copulam. Tenetur tamen reddere petenti, utpote habenti jus exigendi, nisi votum emissum sit cum consensu compartis, quæ juri suo cesserit: quo casu neutri licet petere nec reddere. Qui verò post matrimonium consummatum vovit Religionem, aut Ordines Sacros, potest petere & reddere debitum: quia per hoc votum contraxit solum obligationem suscipiendi Religionem, vel Ordines, si supervixerit; sed statim post mortem conjugis tenetur votum implere.

2. Qui tempore matrimonii culpabiliter cognovit personam consanguineam compartis in 1. vel 2. gradu: nam Ecclesia id graviter vetat ob affinitatem contractam cum conjuge per incestum, cap. 1. & 10. *de eo qui cognovit*, &c. donec acceperit dispensationem, quam dare potest Episcopus, & Regulares habentes privilegium. Comparti tamen innocenti reddere tenetur, *cum suo jure non debeat sine sua culpa privari.* c. 6. eod. Tit. Secus, si compars cum consanguinea hanc affinitatem

tem

tem etiam contraxerit: nam tunc neutri licet petere & reddere debitum; quia, cum uterque sit suo jure privatus, redditio esset incestuosa & illicita, nec hæc permittitur nisi ob jus conjugis innocentis.

3. Qui extra casum necessitatis prolem suam legitimam baptizat, aut in baptismo vel Confirmatione tenet: quia contraxit spiritua-lem cognationem, quæ tum impedit petitionem debiti, ut colligitur ex Rituali Romano; nam id quod dirimit matrimonium contrahendum, si superveniat matrimonio contracto, impedit petitionem debiti, ut constat ex communi consensu Doctorum. Secus, si in casu necessitatis baptizavit, ex c. *ad Limina*, 30. q. 1. nam quod quis obligationi suæ satisfecerit, non debet privari jure suo.

4. Qui contraxit cum dubio de valore Matrimonii, donec dubium prudenter deposuerit. Tenetur tamen reddere comparti, quæ bonâ fide contraxit, cap. 2. *de secund. nupt.* Quod si uterque cum tali dubio contraxerit, neutri licet debitum petere vel reddere, quia manente tali dubio exponerent se periculo fornicandi, & abstinendo nullum periculum peccandi adeunt. Item qui post matrimonium bonâ fide contractum incipit dubitare de ejus valore, tenetur de veritate diligenter exquirere, & durante dubio non potest debitum petere, ne ultrò se exponat periculo fornicandi: tenetur tamen reddere, c. 44. *de sent. ex-*  
com.

com. nam debet vitare periculum violandi jus alterius, imo certam injuriam, quæ fieret privando possessorem bonæ fidei suâ possessione absque sufficienti probatione: qui verò moraliter certus est de nullitate Matrimonii, nec potest debitum petere nec reddere, etiam ignoranti *ibid.* nam scienter fornicaretur: copula enim cum non conjuge est saltem fornicatio. Unde debet potius mortem oppetere.

*Resp.* II. Juxta multos saltem veniale est petere debitum 1. Tempore fluxûs menstrui ex S. Gregor. c. *ad ejus.* dist. 5. S. Hieron. in c. 18. Ezechiel. & S. August. quæst. 64. in Levit. & l. 3. contra Julian, c. 21. ibi: *Talis pudicitia (conjugalis) nec menstruatibus, nec gravidis utitur sceminis, nec ejus ætatis, quâ certum est eas jam concipere non valere:* nam hic concubitus est indecens, & minus congruit generationi ac bono prolis: imo ex S. Thoma in 4. dist. 32. a. 2. proli sæpè noxius, ob indispositionem mulieris ad concipiendam prolem. Hinc aliqui putant esse mortale, quia putant talem copulam solere multum nocere proli; sed S. Antonin. negat esse mortale, & S. Thom. a. cit. dicit tunc debere reddi petenti, si monitioni non acquiescat. Quòd si fluxus esset quasi perpetuus & nimis diuturnus, juxta S. Thom. *ibid.* S. Antonin. & alios licet debitum petere.

2. Tempore graviditatis, etiam citra periculum abortûs: nam hoc tempus non congruit cum tunc concipi foetus nequeat. Un-

Tom. III.

G

de S.

de S. Aug. L. de bono conjug. c. 6. ait: *sunt viri usque adeò incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant.*

3. Tempore puerperii tum ob mulieris indispositionem, tum ob nocumentum proliis jam natæ si à matre alatur, vel ejus quæ nasci posset, vel etiam ipsius matris: nam juxta medicos indè imminent uxori incommoda non levia. Unde S. Greg. c. ad ejus cit. ait: *nisi purgationis tempus priùs transierit, viris suis non debent admisceri.*

4. Juxta varios diebus dominicis ac festis, nisi rationabilis causa id exigat. Quia cùm talis actus, propter carnalem delectationem admixtam animam absorbeat & valdè deprimat, multùmque mentem distrahat, hominem reddit ineptum ad spiritualia, quibus præcipuè diebus illis vacandum est. Ita S. Thom. Supplem. q. 64. a. 5. S. Bonav. Tolet. &c. Unde (ut ait Suarez) est opus incongruum pro tali tempore, & in eo tunc exercito sine justa causa cohonestante apparet aliqua inordinatio contra ordinem quem dictat prudentia, postulatque temperantiæ ac religionis virtus, apponendo sibi & conjugii impedimentum tantæ distractionis & hebetudinis ad Deo, prout oportet, tali tempore vacandum. Prudentia autem in omni opere requirit congruitatem temporis; & omnis actus qui non fit in omnibus debitis circumstantiis est malus: quippe bonum ex integra causa, malum ex quo-

ex quo vis defectu. Hinc illud Eccles. 3. *Omnia tempus habent . . . tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.*

Porro fatentur licitè debitum reddi posse in his casibus, si petens monitioni non acquiescat. Imo petitio videtur posse excusari à culpa per gravè periculum incontinentiæ, quod vix aliter amoveri posses.

*Q. 3. Quibus casibus non licet debitum reddere petenti?*

*Resp. I.* Est mortale reddere debitum, quoties est mortale petere, ob circumstantiam se tenentem ex parte copulæ, quæ ob eam fiat illicita; ut si peratur in loco sacro vel publico, vel cum periculo abortûs aut effusionis extravasaturale, vel gravis detrimenti prolis, vel mortis alterutrius conjugis, &c. *Sanchez & alii.* Quia tunc est cooperatio formalis ad actum graviter illicitum; & prava ista circumstantia actûs afficit petitionem ac redditionem.

*Resp. II.* Quando petere est mortale ob circumstantiam personalem petentis, ut si habeat votum castitatis, juxta S. Antonin. & alios multos, si petens averti nequeat, compars tenetur reddere: quia cum actus ille de se sit licitus, petens retinet jus suum; nec reddens cooperatur petitione, sed ea supposita cooperatur copulæ, quæ licita est ex parte reddentis & à se debita. Alii verò cum Rich. Comitol. &c. docent tunc non licere reddere: